1020.

187

N. 21.

I. Sem. 1824.

Spörer

Comitia Romanorum.

Comitia, quibus a coëundo nomen est, nihil erant, nisi populi Romani conventus ad suffragium ferendum de aliqua re. Quod vero populus modo in Curias, modo in Centurias, modo in Tribus divisus, suffragium ferret; ideo triplicis generis fuerunt Comitia: Curiata, Centuriata et Tributa, in quibus omnibus ea fuit populi auctoritas, ut id valeret, quod plures aut Tribus, aut Curiae, aut Centuriae jussissent. — Omnia Comitia initio Calata dicta sunt a retusto verbo calo, (Graece καλέω) quod tum idem erat cum verbo voco. Postquam vero hoc vocabulum in usu esse desiit, Calatorum nomen iis tantum manebat Comitiis, quae ad creandos Pontifices habebantur.

Comitia Curiata jam sub Romulo, Centuriata sub Servio Tullio, Tributa aliquanto post haberi coepta sunt; unde facile intelligitur, quamdiu Romae summa potestas penes reges fuit, (tamdiu) omnia ad rempublicam pertinentia in Curiatis Comitiis peracta fuisse. In iis

reges electi, magistratus creati, et leges promulgatae sunt. Postquam vero etiam centuriata comitia, Tributaque inducta sunt, suum cuique munus impositum, aliaque comitia aliis de causis convocata sunt. Triplex vero causa fuit, qua haberentur comitia: I, si creandus esset magistratus; II, si ferenda lex, III, si judicium perficiendum.

In comitiis omnibus creati magistratus, sed in aliis alii. In centuriatis majores, ut consules, praetores, censores, tribuni militares et decemviri; In tributis minores magistratus lecti sunt, tam urbani, quam rurales, provinciales, — sive ordinarii, ut tribuni plebis, aediles, quaestores, etc. — sive extraordinarii, ut praefecti annonae, duumviri navales, et alii. — Ut magistratus, ita etiam sacerdotis eligendi ergo comitia habita sunt. In curiatis creati sunt flamines et curiones; in centuriatis appellatus est rex sacrorum; in tributis pontifices, augures et alii.

Usus etiam fuit, ut in comitiis leges sancirentur, non tamen omnes in omnibus comitiis. Quae in curiatis latae sunt, erant, ut his intactis, e.g. de imperio sive proconsulibus sive propraetoribus

propraetoribus dando, de adoptionibus, de testamentis, et sic porro. Si vero cum hostibus foedus conjungendum, si publicae quaestiones constituendae erant, tum tributa haberi comitia mos fuit.

Judiciorum etiam causa saepe comitia convocata sunt, tum centuriata, tum tributa. Judicium de perduellio[nis], quae petitio est centuriatis, de maiestatis laesae vero alicui indicenda ad tributa pertinuit. —

Curiata comitia primi vocarunt reges, deinde consules, praetores, censores, dictatores, interreges et interdum etiam pontifices ad flaminem capiendum dirimendum. Centuriata vero majores omnes magistratus vocarunt, ut consules, praetores, censores, interreges, tribuni militares et decemviri; alii tamen alia de causa. Ad creandos consules, praetores et censores, a nullo alio, quam a consule, comitia haberi potuerunt, quia majorem magistratum minor eligere, licitum non erat. Nec etiam praetoris aut censoris fuit, sed consulis, ea vocare comitia, in quibus praetor et censores eligendi erant. Legum vero et judiciorum gratia comitia vocare dictatoribus licuit, itemque consulibus, duumviris et praetoribus; censoribus vero census habendi causa. —

Si tribuni aut aediles constituendi erant in tributis comitiis, a plebis tribuno ea convocari debuerunt;

si Quaestores, Aediles Curules, aut Sacerdotes, a Consule ~~illa Comitia (Tributa) vocanda erant~~; si extraordinarii Magistratus creandi ~~erant~~, et lex ~~ferendum~~, facienda, et judicium ferendum, a Consule, Praetore vel ~~et~~ Tribuno, ~~illa vocatio fieri debuit~~ quibus omnibus cum populo agere licebat. Comitiis vero omnibus a Magistratibus, qui in illis creabantur ~~creati erant~~, nomen ita inditum, ut, si Consulis eligendi causa vocarentur, Consularia, si Praetoris, Praetoria, si Censoris, Censoria comitia dicerentur. Idem de aliis Magistratibus valebat; fuerunt enim Comitia Aedilicia, Tribunicia et Quaestoria.

Si ad creandos Consules a Consulibus Comitia indici necesse erat, hanc rationem sequebantur: si ambo Consules in urbe erant, inter se sortiebantur, uter praeesset Comitiis; si uterque abesset, alter redibat; si vero neuter redire posset, Dictatorem Comitiorum causa dici creari Senatusconsulto opus fuit. — Comitiis aderant Romani cives, non tamen omnes ~~in~~ omnibus; Curiatis ii tantum, qui urbis incolae, ~~essent~~ et in Curias divisi essent; ~~in~~ Centuriatis omnes, tum urbis, tum municipiorum, tum coloniarum incolae,

incolae, quibus cum suffragii jure civitas data erat. In Comitiis Magistratuum praeter cives, quibus suffragium ferendum erat, Candidati aderant, a quibus Magistratus petebatur; Diribitores, qui tabulas darent populo; Rogatores, qui cujusque sententiam exquirerent; Custodes, ~~quibus~~ quorum erat videre, ne quid fraudis fieret in colligendis suffragiis; et Praecones, qui Centuriarum Tribuumque sententiam Candidatis palam renunciarent. — In judiciorum vero Comitiis aderat accusator, qui crimen objiceret; ~~praecones~~ Patroni, qui defenderent ~~poenam mitigarent~~; et reus cum amicis suis, qui sordida veste, promissa barba, et squalido totius corporis habitu, populi animum ad clementiam verteret.

Comitiis tum Curiatis, tum Centuriatis habendis status certusque fuit locus; Tributis non ita. Curiata semper in foro, seu potius in Comitio, parte fori, habita sunt. Centuriata in Martio campo; Tributa vero vel in foro, vel in Campo Martio, vel in Capitolio, vel in circo Flaminio. Curiata enim extra urbis moenia, Centuriata intra pomoerium haberi nefas erat; Tributa vero vel extra, vel

vel intra pomoerium indicere illicitum erat.
Comitiis omnibus id commune fuit, ut comitialibus tantum diebus haberentur, nunquam aliis; Hic vero inter eadem ordo fuit: Primum tribunitia et aedilitia, quae tributa erant, habita sunt; deinde consularia, tum praetoria, post censoria, deinde aedilitia ad aediles curules eligendos, post quaestoria, denique tribunitia ad creandos tribunos militum.
Id vero censoribus proprium fuit, quod, ubi designati erant, continuo magistratus inirent, caeteri vero non.

Ut comitia justa essent, multa prius observari opus fuit: primum, ut trinundino ante, ab eo magistratu, cujus id erat officium, indicerentur. Edictum enim, scriptum in tabula, proponi solebat, ut, quo die populus convenire, multo ante tum colonarum, tum municipiorum incolae scirent.
Deinde adhibenda erant auspicia, et quidem ad omnia comitia coeli observatio; ad curiata et centuriata vero auspicia sive inspectio avium; quare etiam aderant

aderant tres augures, et si de coelo quid servatum esset, eorum observationis nunciationi parendum erat. Ad tributa vero nec auspicia nec sacra facta, nec augures adhibiti sunt.
Ad centuriata nonnulla praeter haec praemitti necesse fuit: primum patres illorum auctores erant, hoc est, magistratus ex senatusconsulto comitia indicebat; deinde auspicia a magistratu facta sunt vel in arce vel intra Urbis pomoerium, tum facta in urbe sacra legitima; postea populus sub signis in centurias divisus, magistratum in tabernaculum, quod in campo Martio situm erat, sequebatur; armis denique depositis, sed erecto vexillo, exercitus praesidii causa in Janiculo monte constituebatur, ne hostes, qui tum haud procul aberant, Urbem invaderent. — Populo ita in foro vel campo Martio congregato, magistratus ad eandem concionem habere solebat, qua rogaretur, ut id, de quo agebatur, vel probaret, vel vetaret, sive lex esset, sive judicium. Tum lex proposita

posita et descripta est, ut cuique ejus legendae libertas esset. Aderat etiam interdum civis, qui et gratia et auctoritate apud populum valeret, ut ad legem amplectendam eum adduceret, auctorque legis existeret. In Curiatis Comitiis hac potissimum formula Magistratus utebatur: "Si ita vobis videtur, discedite Quirites, (vel: ite) in suffragium, cet. (vid. Liv. XXXI. 7.). Si rogatio non esset commodo populi, e Tribunis plebis vel unus vel plures intercedebant, hoc solito verbo: "Veto, vel: Vetamus". Tum Comitia plerumque dimittebantur; si vero nemo intercederet, populus de rogatione consultabat. - In Comitiis Magistratuum is, qui iis praeerat, populum moniebat, ut, quos licitum esset, Consules, Praetores, Aediles et c., e Candidatis eligeret. - Pro quibusque singulis Magistratibus bina habita sunt Comitia, altera ut designarentur, et altera, ut confirmarentur Magistratus.

Alia alio tempore fuit ratio suffragii ferendi. Primum

Primum voce illud ferre mos fuit, deinde tabula. Anno enim post Urbem conditam 614. Gabinius, tribunus plebis, legem tulit, ne voce, ut ante, sed tabula darentur postea suffragia in Magistratuum Comitiis. Dum adhuc voce suffragium latum est, in Comitiis Magistratuum, cuique, cui quem libuerat, appellandi facultas erat; sed in Comitiis sive legum sive judiciorum, legem si quis probaret, hoc verbo utebatur: Ut rogas; si repudiaret, vero hoc: Antiquo. - Postquam tabulae inductae sunt, tot cuique datae sunt, quot erant Candidati. Quaque in tabula unius eorum nomen scriptum erat, aut potius prima tantum cujusque nominis littera. In Comitiis legum vero et judiciorum duas tantum tabulas cuique dari mos fuit, quarum in altera scriptum erat: Uti rogas, his primis litteris: U. R.; in altera: Antiquo, per litteram A. -

In omnibus Comitiis solemne fuit, ut, quae plurium fuerat sententia in eadem Curia, vel

Centuria,

Centuria, vel Tribu, haec totius aut Curiae, aut Centuriae, aut Tribus esse censeretur, quod vero plures Curiae, Centuriae et Tribus jus tulerant, id valeret. Quare si in Comitiis Curiatis Curiae sexdecim, in Centuriatis Centuriae primae classis, in Tributis Tribus septemdecim consentirent, haec sententia vicit; nec aliae Curiae Centuriae vel Tribus vocatae sunt ad suffragium, sed dimissa Comitia. Si vero dissentirent, tum aliae Curiae, Centuriae et Tribus suffragium tulerunt; donec major Comitiorum pars idem aut juberet, aut vetaret.

Ferendi vero suffragii non idem in omnibus Comitiis fuit ordo. In Curiatis et Tributis nulla habita est ratio dignitatis, sed sortis usque ad finem Comitiorum; ita ut quaeque Curia et Tribus eo ordine ferret suffragium, quo sorte vocabatur. In Comitiis autem Centuriatis majoris habebatur dignitas. Initio quidem pro ratione census suffragia data sunt, ita ut prima classis primum iniret suffragium, deinde secunda, post

sic porro

post tertia, et c. - Post expletas Tribus triginta quinque, Centuriae omnes sorti permissae sunt, quaenam primum suffragium ferret, unde duplex facta est sortitio, una inter Tribus, altera inter Centurias. Quae Tribus primo exibat, praerogativa Tribus, et quae Centuria, praerogativa Centuria erat nominata, reliquae et Tribus et Centuriae sorte vocatae dicebantur, quamvis non sorte, sed suo ordine quaeque ad suffragium dandum procederet.

In Comitiis, quae in Campo Martio habebantur, sive Centuriata essent, sive Tributa, hac ratione lata sunt suffragia. Primum, cujusque F nomina in cistam conjecta, deinde sorte educta; tum populus in suas aut Centurias aut Tribus discedere jussus; post vel Centuria vel Tribus praerogativa a Magistratu, qui in tribunali sedebat, per praeconem vocata, deinde aliae Centuriae et Tribus pro ordinis dignitate et prout sors tulerat. Vocata ad suffragium Centuria aut Tribus ex eo loco, ubi constiterat in septum discedebat, locum juxta Tribunal cancellis conclusum, quo interim ingredi alius non licuit. In septum per pontes iter erat; in pontibus stabant Diribitores

F sive Centuriae sive Tribus

tores, qui tabulas darent singulis; ut quisque in septum venerat, proposita est a Rogatoribus cista, in quam singuli eam, quam vellent, conjicerent tabulam. post collectas unius Centuriae vel Tribus tabulas, ad illas educendas custodes adhibiti; quorum erat suffragia describere, i.e. tot puncta notare in tabella, quot similes erant in quaque Centuria tabellae; ita ut haec Centuriae sententia renunciaretur, quae ex punctorum numero plures habere similes tabellas conspiceretur. Postquam praerogativae Centuria suffragium tulerat, ex septo dimissa est; et prima equitum Centuria, deinde aliae primae classis Centuriae suo quaeque ordine evocatae. - Idem de Tribubus valet, quas tamen non dignitatis ratione, sed sorte vocari mos erat.

Haec [illegible] de veterum Romanorum Comitiis breviter compositia, benevolo lectori ne omnino displiceant, maximopere certe cupimus. -